

possessore, partium consensu, aut iudicis officio ex causa facta separatio. Neque AVGVSTINVS A LEYSER ⁱ⁾) multum ab his discrepat, dum, *sequestratio est, ait, quando quis vel possessione ipsa, vel libero possessionis usu, lite pendente priuatur.* Denique etiam ISRAEL GOTTLIEB CANZIUS ^{l)}) multum recedit a communi finiendi ratione, propiusque nobis adcedere videtur, dum ita finit, vt dicat: *sequestrum existit, quum bonum, siue mobile, siue immobile, non ab uno tantum, sed a pluribus, immo quandoque inuitis, iussu iudicis, tam in rei custodiam, tam in possessionem, in securitatem adseritur, usque ad exitum negotii.* Quae quidem ideo statim ab initio monere voluimus, vt adpareat, esse nos qualicumque certe modo tam iureconsultorum celeberrimorum, quam philosophorum clipeis tectos, adeoque non omni plane praesidio destitutos. Quo facto putamus, et illis satis quomodocumque esse factum, quibus nihil placet, quod a communi et recepta ratione deuiat. Certe efficiemus, vt ne nos statim ab initio et inaudita causa, quasi ob ἀίρεσιν plane nouam nec tolerandam condemnent. Si quid vero in nostra definitione inueniatur, quod in reliquis omnibus non est, id ideo adiectum a nobis est, quia persuasum nobis habemus, vt diximus (§. I.), fieri omnino debere, vt in definitionibus negotiorum iuridicorum exprimat id, propter quod illa suscipiuntur, quodue iisdem effici intenditur. Contra vero quod omissum est in nostra definitione, in reliquis, inprimis CANZII, expressum, id posse ideo omitti putauimus, quia rectius videtur ad diuisionem partitionemque referri, ad quam iam adcedimus.

§. VI.

i) in meditat. ad Pandecl. spec. 177. medit. 1. 2.

Iurispr. priu. uniuers. in ciuit. P. 2. S. 2. c. 5. §. 2089.

l) in disciplinis moralibus. Discip. 3. de